

Arabum præcipuè, pro Scordio vero, Alliarium aliquando substituerint, non quòd verum Scordium ipsis fuerit incognitum, sed quòd in Alliarium easdem ferè vires cum Scordio reperint. Sed quæris forsan, cur ità sine sollicitudine Alliarium, cum Scordium multò sit præstantius? Causa est, quòd Scordium in multis regionibus minimè crescat, neque nisi siccum, & ut plurimum obsoletum haberi possit, cum Alliarium ubique locorùm prodeat. Sed quia in exiccata herba parum facultatis & virium remanere, expertus sum, idcirco ipsam in fine Aprilis, aut ineunte Maio colligere soleo, & postquam per diem vnum in umbra exiccata fuerit, minutim incido, contundòque in mortario, & prælo succum exprimo, quem in vitreis ampullis, superinfuso parum olei, annum integrum, imò ad tres vsque annos referuo. Idem quoque succus sartagini infusus lento igne inspissari potest, & ad eundem usum in multos annos referuari. Magma deindè exiccatum, & in cineres redactum, aut ex eo sal extractum, maximo cum fructu mundificatiuis admisceo. Succum verò siuè simplicem, siue inspissatum vnguentis & Cataplasmatibus inodo, ad Gangrænam, aliàque vlcera putrida, sordida ac maligna, uti in meo tractatu de Gangræna & sphacelo videbis. Abstergit enim, ut antea monui, mundificat, & putredini resistit, parùmque à vero Scordio, minùs verò ab altero, cuius in vltima ad te data epistola, meminì, discrepat. Ex quibus summa Dei, ergà nos miseros homines, Clementia atque misericordia elucescit, quòd,

ea